



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Silvanectense, Qvo Ivssv Arnvlphi Rhemensis archiepiscopi
Galliarum episcopi praedoni Rhemensis ciuitatis anathema dixerunt, anno
Domini DCCCCXC. tempore Ioannis papae XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
989.

CONCILIVM ROMANVM

IN CAUSA SANCTI ADELBERTI EPISCOPI

Pragensibus restituendi celebratum, anno DCCCCXXCIX.
tempore Ioannis papæ XV.

NOTA.

^a *Concilium.*] Sanctus Adelbertus Pragensis episcopus cum Bohemos suos sibi valde contrarios esse experientia didicisset, secundum euangelicam sententiam eos deferens, anno Christi 983. sub Benedicto papa VII. Romam venerat, vt consensu Romani pontificis episcopatum dimitteret, sibi que ad loca sancta peregrinari liceret. Peracta peregrinatione Romam reuersus, monasterium sancti Bonifacii ingressus est; cumque in eo tamquam in palastra Christi integro quinquennio se pugilem strenuissimum exhibuisset, Pragenses emendationem polliciti episcopum suum repetiuerunt, eaque de causa duos viros ad sedem apostolicam ablegarunt. Quos cum pontifex audiuisset, Conuentum hunc synodalem collegit, in quo post diligentem facti inquisitionem visum est sanctæ patrum congregationi, plane necessarium esse, vt episcopus ad pœnitentem populum redire cogatur, quantumvis ille reluctetur. Addidit pontifex hanc legem & conditionem: *Si audierint eum, teneant cum benedictione: si vero non audierint, absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.* Sententiæ Concilii & imperio abbatis Adelbertus obtemperans, magno cum dolore plurimisque lacrymis ad episcopatum rediit. Qua ratione eundem episcopatum ob ingrauescentia populi peccata iterum deferuerit, quave occasione postea Hungarorum apostolus effectus Stephanum regem baptizauerit, refertur apud Surium in actis sancti Adelberti die 23. Aprilis tomo 2. & in vita Stephani Hungarorum regis apud eundem tom. 4. die 25. Augusti.

Causa
Concilii.Decretum
Concilii.Adelbertus
Hungarorum
apostolus.ANNO
CHRISTI
990.

CONCILIVM SILVANECTENSE,

QVO IVSSV ARNVLPHI RHEMENSIS
archiepiscopi Galliarum episcopi prædoni Rhemensis
ciuitatis anathema dixerunt, anno Domini DCCCCXC.
tempore Ioannis papæ XV.

NOTA.

^a *Concilium.*] Arnulphus Rhemensis archiepiscopus ab Hugone Francorum rege ad eam dignitatem promotus, venerat in suspicionem, quasi conscius foret illius proditionis, qua per presbyterum

Ocasio
Concilii.

Dd iij

ANNO CHRISTI 990.

quemdam Rhemensem Gislebertum nomine Carolus frater Lotharii ciuitate Rhemensis potitus erat, ipsumque Arnulphum captiuum abduxerat. Augebat suspicionem, quod filius Lotharii regis defuncti & Caroli nepos esset, adeoque eius iussu ciuitas Carolo patricio suo tradita fuisset. Ad quam suspicionem tollendam cum ille sententiam excommunicationis, quæ extat in Concilio Rhemensis, cap. 12. aduersus omnes qui tam nefaria perpetrassent priuatim intorhisset, voluit ille hoc loco Galliarum episcopos conuenire, idemque quod ille fecerat præstare. Obtemperarunt suo archiepiscopo aliarum ecclesiarum antistites, atque eisdem prædones, post habitam orationem inuectiuam, sententia anathematis condemnarunt. Recitata sunt ista omnia postea in Rhemensis Concilio, atque inde a Gerberto in suum commentarium translata fuerunt.

Acta extant & recitantur cap. 12. & 14. in libello Gerberti, qui falso inscriptus est Synodus ecclesiæ Gallicanæ habita Durocortori Rhemorum sub Hugone A. & Roberto Francorum rege.



CONCILIABVLVM

ANNO CHRISTI 991.

SIVE PSEVDOSYNODVS RHEMENSIS, qua Arnulphus archiepiscopus depositus, & Gerbertus eidem substitutus fuit, anno Domini DCCCXCII. tempore Ioannis papæ XV.

NOTA.

Quid actum in Conciliabulo.

[Conciliabulum.] Quid in hac pseudosynodo gestum fuerit, ex legitimis actis Eginaldus in auctario quod est apud Aimoinum descripsit his verbis: *In illis diebus in Rhemensium ciuitate erat archiepiscopus vir bonus & modestus, frater Lotharii regis ex concubina, nomine Arnulphus. Hugo autem rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii regis. Congregansque in vrbe Rhemensis Synodum, in eum locum idem Hugo rex inuitauit archiepiscopum Senonicæ vrbis nomine Seguinum cum suffraganeis suis, in quo Concilio fecit degradari dominum Arnulphum archiepiscopum Rhemorum dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere, dicens non debere esse episcopum natum ex concubina. In loco autem eius consecrari fecit dominum Gerbertum monachum philosophum, qui Gerbertus magister fuit Roberti regis filii istius Hugonis & domini Leutherici archiepiscopi successoris venerabilis Seguii, Arnulphum autem mancipari custodia in Aureliana ciuitate. Venerabilis autem Seguinus archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: iussio autem regis vrgebat. Alii vero episcopi, licet inuiti, tamen propter timorem regis degradauerunt Arnulphum, & ordinauerunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum quam terrenum regem, noluit consentire nequitia regis; sed magis quantum potuit redarguit ipsum*